

DISSERTATIO JURIDICA  
INAUGURALIS.  
QUÆ DISQUIRIT  
QUAMDIU JUS PUNIENDI  
UNIVERSITATEM DURET.

*Q U A M*  
ANNUENTE DEO TER OPT. MAX.  
*Ez. Auctoritate Magnifici Rectoris,*  
**D. FREDERICI WINTERI,**  
MED. DOCT. ET PROFESSORIS, SERENISS. ARAUS.  
ET NASSAV. PRINCIPIS ARCHIATRI.


NEC NON  
*Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu,*  
*& Nobilissimæ FACULTATIS JURIDICÆ Decreto,*  
**PRO GRADU DOCTORATUS,**  
Summisque in UTROQUE JURE Honoribus & Privilegiis  
rite, ac legitime consequendis,  
*Eruditorum Examini submittit*  
**WILHELMUS FREDERICUS DE JACOBI,**  
DOMINUS IN CADIER ET BLANKENBERG MOSA TRAJECTINUS.  
Ad diem 23. Junii 1750. Hora locoque Solitis.



LUGDUNI BATAVORUM,  
Apud ABRAHAMUM KALLEWIER, 1750.

23895<sup>28</sup>

D E O  
P A T R I Æ  
P R I N C I P I  
P A R E N T I  
C O N S A N G U I N E I S  
A T Q U E  
A M I C I S  
S A C R U M.



DISSE<sup>T</sup>RAT<sup>O</sup> JURIDICA  
INAUGURALIS,

QUÆ DISQUIRIT

QUAMDIU JUS PUNIENDI  
UNIVERSITATEM DURET.

§. I.



Nter ea, quæ natura ipsa dictat li-  
cita esse neque iniqua , est & hoc  
ut qui male fecit , malum ferat.

*Quæ fecit , si quisque ferat , jus  
fiet & æquum.*

Quod Aristoteles *Ethic. Nicom. lib.*  
*s. c. 8. jus Rhadamentheum* vocat.  
alii appellant *jus Pythagoricum*, *jus*  
*Neoptolemeum*. Vid. Beccmann. *in not. ad lib. 2. Grot. de J. B.*

A &

## 2 DISSERTATIO JURIDICA

& P. c. 20. & Grotium ipsum lib. 1. c. 2. §. 5. ibique ejus notas. Hinc Plato in Eutypbr. tom. 1. p. 8. ait: nec Deorum nec hominum quisquam hoc dixit, injuste agenti non luendam pœnam. Impp. etiam L. 22. C. de pœnis, ibi pœnam esse, ubi & noxia est, & peccata suos tenere Auctores sanciunt. Vid. & L. 33. §. 1. C. de inoff. testam. L. 2. C. ne uxor pro marit.

Pœna vero morte finitur; quia pœna effectus est, ut injuria tantumdem patiendo tollatur; hæc passio naturaliter locum habere nequit, nisi in persona, quæ læsit; post mortem vero nemo malum pati potest; unde heredes ex defuncti delicto non tenentur ad pœnam L. 20. D. de pœnis. Pœna enim est delicti æstimatio L. 41. D. eod. quæ cum præterquam a debitore exigi non debet, utique nec pœna alii quam ipsi fonti infligi potest.

## §. I I.

Hac occasione egregia nascitur quæstio, an pœna ob delictum Universitatis semper exigi posse, seu an delictum a populo commissum bujus successores luere teneantur? cumque Academiae Valedicturo quædam pro specimine subjicienda essent, obtulit sese mihi hæc materia, quæ aliorum dissertationibus adeo protria non fuit, vel saltē an fuerit, penitus ignoro hanc igitur materiam tractatus quædam huic themati af finia præmittere debo.

## §. I I I.

Universitas aliquando stricte sumitur, & definitur, collegium hominum ad minimum trium, diversum a Familia & Republica, auctoritate publica confirmatum. L. 85. de V. S. vocaturque eo sensu accepta, collegium, corpus, curia, societas tot. tit. D. quod cuius univers. nom. & tit. D. de manu mis quæ serv. ad univers. pertint. impon. Aliquando sumitur latius, ita ut Rempublicam designet L. 10. §. 4. D. de in

## INAUGURALIS. 3

in jus vocand. Hoc autem loco Universitatem, civitatem & populum promiscue ponemus; vulgo quidem pro urbe civitas accipitur, quia olim ante Macedonum Romanorumque arma per Europam singulis fere urbibus Civitates terminabantur: Nunc hujus instituti vestigia in liberis Germaniæ, & paucis Italiæ urbibus habentur. Subtiliori sensu etiam significat populum unius urbis. Cicero lib. 4. Acad. Quæst. c. 137. Roma, ait urbs, & eam civitas includit. Verum gentes magnas, & regna tota multas urbes comprehendentia Civitatem unam constituere, ac ita appellari minime rarum est Cæsar lib. 1. & 2. de bel. Gallic. Carnutum, Andium, Helvetiorum aliasque Civitates nominat. & Justin. lib. 41. c. 4. Arsacen Parthorum & Hyrcaniæ, quæ maxima regna fuerunt, duarum Civitatum imperio præditum fuisse ait.

Potest itaque Universitas latiori sensu sumpta definiri, societas perfecta & sui juris, rebus ad bene vivendum necessariis instruta, ordineque imperandi & parendi distincta; non enim verum est, quod multi scribunt, civitatem esse materiæ instar, cui Respublica sit pro anima: civitas significat totum quid, sicut animal significat integrum substantiam animatam.

## §. I V.

Secundum Philosophos autem Universitas non est aliud, quam homines Universitatis, quia totum realiter a partibus non differt; sic nihil aliud est universitas Scholarium, quam Scholarès ipsi: sed secundum fictionem juris verum hoc non est; adeo cum Universitatem dicimus, non intelligimus singulos de illa Universitate, sed aliquod civile corpus confitans ex distantibus capitibus L. 30. D. de usurp. & usutap. Hinc olim universitas heres institui non poterat, quia testatoris consilium circa omnes certum non erat, tum etiam quod res exitum habere non posse videbatur; cum ad hereditatem cernendo, audendo, vel pro herede gerendo

do adquirendam animo & voluntate omnium opus esset, quales actus universitas agere posse non credebatur; fidei-commissa hereditas corpori alicui restitui poterat Vid. Ulp. in fragm. tit. 22. §. 5. L. 26. D. ad SCtum Trebell. videri etiam potest Lex unica D. de libert. universitat. Hoc autem Universitatis corpus tanquam persona moralis, dicitur nasci, vivere, mori, contrahere, litigare, possidere, delinquere & puniri L. 56. D. de usufr. L. 21. D. quib. mod. usufr. amittit. L. 22. D. de fidejuss. L. 7. D. quod cuius Univ. nomin. L. 1. §. ult. & 2. D. de acquir. vel Amitt. poss. repräsentat enim Universitas unam personam, quæ disticta est ab Universitatis membris L. 22. D. de fidejuss. quod clare patet; quoniam recentibus hominibus Universitatis, aliisque redeuntibus, eadem tamen est Universitas, item mortuis omnibus de populo, & aliis surrogatis idem est populus L. 76. D. de judiciis quo sit, ut, quod pro Universitate sit, non possit fieri pro singulis civibus; unde & Actor Universitatis. Actor singulorum non dicitur L. 2. D. quod cuiusq. univers. nomin. Hac ratione Ulpianus si quid, inquit, Universitati debetur, singulis non debetur; nec quod debet Universitas, singuli debent L. 7. §. 1. & §. 2. D. eod. grave enim est & æquitati naturali contrarium pro alienis debitibus molestari L. unic C. ut null. ex vican. pro alien. vican. debit. ten. Hinc etiam venit, quod Universitas per Syndicu suum ex juris dispositione investituram accipere, & fidelitatis juramentum, non vero singuli cives, præstare teneatur; & hac persona defuncta alium Syndicum nominare debeat, qui & Laudemium & munera solvit, potest quoque Universitas per suum Syndicu defendi in causis criminalibus; quamvis procurator in causa capitali pro privato intervenire nequeat L. 13. §. 1. D. de publ. judic. Videntur enim personaliter respondere municipes, cum respondent hi, quibus summa Reipublicæ commissa est L. 14. D. ad municip. imo potest Syndicus nomine Universitatis accusare. Mynsing. Observ. Cent. 4. obs. 76.

Cum

## §. V.

Cum vero non nisi voluntate peccetur, & universitas sit nomen juris, non cadat sub sensus, non videatur, sed intelligatur; nascitur quæstio, an quidem delinquat universitas? & proprie & subtili ratione delinquere non potest, imo nec consentire L. un. §. 1. D. de libert. univers. aut dolo malo quid agere L. 15. §. 1. D. de dolo mal. quæ de causa eam non posse delinquere censuit & Pontifex in c. gravem. §. 3. de sentent excomm. neque etiam eam posse excommunicari retulit in cap. Romana §. eod. tit. in 6. Sed impropre, quin delinquat, dubium nullum est; si qui universitati præsunt, si Rectores, Gubernatores civitatis, vel major civium pars deliquerit; sic nihil certius apud Philosophos, quam quod majestas agit, sive habentes majestatem agunt, id a civitate actum censeri: pertinet huc L. 160. §. 1. de R. J. L. 15. §. 2. D. quod vi.

## §. VI.

Delinquit autem Universitas duplicito, vel omittendo vel faciendo: omittendo peccatum committit, si, quod facere tenetur, omittat, licet hoc contigerit negligentia regentium universitatem: in delicto vero, quod committit faciendo notandum est, quædam esse quæ fieri possunt per universitatem, ut statuta condere, vectigalia imponere, & similia: hoc casu potest Universitas delinquere Autb. Item nulla communit. C. de episcop. & cleric. nec dici potest, quod aliquis ex privatis hoc faciat, sed hoc facit ipsa Universitas. quædam vero sunt, quæ ista iura apud Universitatem residentia non spectant, ut committere homicidium, injuriam inferre; & hæc facere propriæ Universitas nequit, quoniam requirunt personam veram, L. 15. §. 1. D. de dol. malo sed impropre per alios hæc facinora committit, ac connivendo recipiendoque fa-

A 3

nor-

cinorosos approbare videtur; delinquunt enim, qui delinquentem non manifestant. L. 16. §. 1. C. de heret. & manich.

## §. VII.

Ad hæc delinquit Universitas aut impetu mero aut deliberato consensu, illum non sufficere ut delictum ab universitate commissum dicatur, communis Doctorum sententia est, ne quidem, si levato vexillo aut pulsata campana omnes simul delinquant. *vid. Zieg. ad Grot. Lib. 2. c. 22. §. 7.* Si vero consensus præcesserit, & in hanc rem consilium publicum convocatum sit, totum universitatis corpus delinquisse censetur.

## §. VIII.

Quemadmodum nulla poena existit, ubi nihil peccatur, ita econtra ubi noxia est, ibi & poena est: vidimus autem Universitatem aliquando posse delinquere, videndum jam erit, an puniri possit? *Innocentius in cap. delett. 2. vers. X. de Simon.* negat puniri posse criminaliter, civiliter vero posse conveniri; movetur, quod si universitas puniretur criminaliter, punirentur etiam infantes & pupilli, qui non consenserunt, quod iniquum foret: sed ratio hæc nulla est, quoniam quæ a majore parte gesta fuerunt, ab omnibus geri videntur; & si quid concluderet illa ratio, saltem concluderet poenam respectu impuberum esse mitigandam, eosque ab ea esse excipiendo.

## §. IX.

Pœna autem ab Universitate sumi dicitur, cum ipsa Universitas punitur; quare cum Universitas jure constet, ut supra jam vidimus, adhibendæ pœnæ, quæ jus illud admittunt, ideoque pœna, quæ in Universitatem non cadit

V.

## INAUGURALIS.

7

V. G. pœna homicidii, mutatur in talēm quæ in Universitate locum habere potest: Punitur igitur Civitas, cum evertitur, L. 21. D. quib. mod. ususfr. amitt. Sic aliquando subit servitutem civilem, in provinciam redacta: Ut Victorinus, cum sua opera imperium videri vellet auctum, Pictos in provinciæ formam redactos, legibus Romanis uti jussit, gravi pœna, ni pareatur, indicta; ac Hergusto eorum rege inter hæc mortuo, vetuit, ne novum crearent, neve Magistratum alium, nisi a populo Romano datum haberent Buchanan. *rerum Scot. 4. p. 129.* sic civitas suis legibus, Magistratibus, publico consilio, immunitatibus, aliisque privilegiis in pœnam sæpe privatū, & mœnibus nudatur: ut Theodosius Imp. Antiochenis rebellibus usum balneorum, item dignitatem Metropolitanam ademit, teste Libanio in *orat. de fedit.* *Antioch.* ornamenta publica eripuit Byzantinis Severus Imp. Herodian. 3. 6. Exemplum notabiliter punitæ Universitatis suppeditat Praga urbs a Cæsare devicta anno 1547. apud Thuan. lib. 4. p. 83. Supplicibus hæc dicta sunt leges: proximis conventibus fœdus initum aboleant, concerptis omnibus sigillis: privilegiorum & immunitatum exempla & documenta omnia exhibeant, ex quibus quæ velit Rex revocet, aut si videbitur, denuo largiatur, & confirmet; literas item omnes, quibus tribuum & Societatum jura continentur, consignent, quod ea turbis & dissensionibus causam dedisse constaret, arceis tradant, & jurisdictioni omni ac vectigalibus renuntient, foederisque cum Saxone initi litteras tradant, cerevisiæ vectigal, quod in annos tres promiserant, perpetuo dependant: machinas bellicas omnes cum omni reliquo instrumento in arcem deducant, & quæ privatum quisque habet arma usibus publicis in curia deponant. Dumque hæc perficerentur, omnes in carcere detenti. *Vid. eund. Thuan. lib. 5. p. 105.* & Menoch. *arbitr. cas. 598. N°. 27.* Sic Bodinus lib. 3. *de repub. c. 7.* Similem memorat pœnam ab Henrico II. Francorum Rege Aquitanis rebellibus ac præ-

præcipue Burdegalensibus inflictam ; sed quia narratio longior est , videri potest loc. cit.

## §. X.

In vindicando Universitatis delicto triplex fuisse Veterum institutum animadverto ; interdum universa membra punita video , interdum solos principes & criminis autores ; saepe ad mitigandam severitatem fors adhibenda fuit.

## §. XI.

Primi instituti exemplum scil. universa membra punita fuisse, dat nobis Livius lib. 28. c. 28. cum Rhegium quondam in præsidium missa legio , interfestis per scelus principibus civitatis , urbem opulentam per decem annos tenuerat , propter hoc facinus tota legio millia hominum quatuor in foro Romano securi percussi sunt. Sic Cæsar nonam legionem totam , cum ignominia missam fecit. Suet. in Julio c. 69. Pari ratione Cysiceni , qui seditione facta Romanos cives intefecerant ; itemque Tyrii & Sidonii in servitutem Augusti imperio redacti sunt Dio. lib. 54. & 57.

Hujus quidem pœnæ exactio ratio hæc redditur : quia quod a pluribus pro indiviso commissum est , singulis in solidum obligat , L. 15. §. 2. D. quod vi aut. cl. quæ pœna delictis imposta est , si plures deliquerint , a singulis in solidum debetur L. 11. §. 2. ad L. Aquil. quod in partes dividi nequit , ab omnibus quodammodo factum videtur L. 4. §. 1. pr. D. de V. Oblig.

Secundum has regulas videmus JCtos. Romanos decidisse in causa , si plures fures conjunctim furtum fecerint. L. 21. §. 9. D. de furt. L. 55. pr. D. de adminis. tutel. L. 1. C. de cond. furtiv. L. ult. D. ad L. Corn. de siccari Pari modo deciderunt , cum plures Servi Album Prætoris corruperint L. 9. D. de Jurisd. Quamvis autem non omnes

omnes consensum præbuerint , ea tamen quæ a majore parte gesta sunt , omnes cives fecisse dicuntur ; eo , quod major pars decrevit statur , Curtius lib. 10. c. 6.

## §. XII.

Sed quoniam pœnæ mitigandæ non exasperandæ sunt L. 42. D. de pœnis. Seneca lib. 1. de clem. c. 2. difficile , ait , est temperamentum , quidquid æquo plus futurum est , in partem humaniorem præponderet & cap. 20. ejusd. lib. pœnam , si tuto poterit , donet ; sin minus temperet . Si pœnæ graviores sunt , ab iis tantum , qui sceleris participes & consciæ fuerunt , exigi debent : præterea si ingens sit peccantium multitudo , ita ut aut plectri capite sine periculo non possint , aut crudelius videatur omnes plectri , consultius est Duces potius , & factionis Capita punire ; ut pœna ad paucos , metus ad omnes perveniat . Cicero pro Cluent. Idem jam observandum , si civitas vel Universa provincia deliquerit , cujus rei ratio hæc quidem est , quod multitudo sine Auctoribus raro delinquit : etenim ut mare sua natura tranquillum , vento incumbente tumescit , ita populus sua natura quietus a pravis Oratoribus , tanquam violenta tempestate impellitur . Quisquis sequitur priores male iter ingressos , quidni habeant excusationem , cum publica via erraverint ? in singulos severitas Imperatoris distinguitur : at necessaria venia est , ubi totus deseruit exercitus . Quid tollit iram Sapientis ? turba peccantium ; intelligit , quam sit iniqum , & pericolosum publico irasci vitio Senec. II. de ira cap. 10.

Raro fit , quod minerva apud Homerum Iliad. o. de Jove irato denuntiat.

Sontes , insontesque manet promiscua pœna.

Hinc de solis Auctoribus supplicium aliquando sumptum fuisse legimus apud Livium lib. 26. Valerius Levinus , A-

B

gri-

grigento capto, qui Capita rerum erant, virgis cæsos securi percussit, cæteros prædamque vendidit. sic lib. 28. consilium de iis Cathagine erat, inquit, (loquitur autem de seditione militum ad Sucronem exorta) certabaturque sententiis, utrum in Autores tantum seditionis animadverteretur, an plurium suppicio vindicanda tam fœdi exempli defectio esset: vicit sententia levior, ut, unde culpa orta esset, ibi pœna consistet. Eodem modo Carolus V. Imp. Gandavorum defectiones ultus est; cum enim sua edicta publice lacerare Praetorem urbanum coegissent cives, & Legatos ad Franciscum I. Francorum Regem misissent, ut patrocinium urbis reciperet, eoque recusante cæteros ad defectionem invitarent, Senatus Hispanorum urbem solo æquari oportere decreverat, civium bona in fiscum cogi; Imperator patriæ ac urbi, in qua natus erat, pepercit, triginta defectionis Autores capite punivit Bodin. lib. 3. de repub. c. 7.

Et autem hujus instituti æquitas non exigua: quisque enim ex suo admisso pœnæ subjiciendus est L. 26. D. de pœnis; unius factum alteri, qui nihil fecit, non nocet L. s. §. 5. D. de nov. oper. nunt. Ne alieni admissi pœnam luant, quos nulla contingit culpa L. 7. pr. D. de bon. damnat.

### §. XIII.

Ultimus puniendi modus, quem §. 10. indicavimus, est sortitio seu decimatio, quia plerumque decimus quisque sorte ductus suppicio afficiebatur.

Verum quidem est, etiam in decimandis Legionibus fortissimum quemque sortiri, & pro ignavissimo puniri Tacit. lib. 24. at omne magnum exemplum habet aliquid ex iniquo, quod publica utilitate compensatur: ut igitur carnificina vitetur, sortitio adhibenda est, hoc est decimatio, vicesimatio vel centesimalio: sic legimus apud Liv. lib. 2. quod Appius Claudius Cos. advocata concione, invectus

haud

haud falso in proditorem exercitum, militaris disciplinæ, desertorum signorum, ubi signa, ubi arma essent, singulos rogitanus, inermes milites, signo amissi signiferos, ad hoc Centuriones duplicariosque, qui ordines reliquerant, virgis cæsos securi percusserit; cæterea multitudo decimus quisque ad supplicium leæti. Sic Mommius Crassus legatus postquam, vetante Crasso, manus conseruisset fususque esset, & multi milites, abjectis armis, fuga salutem quæsivissent: Crassus ipsum Mommium asperè increpavit, & quingentos primos, a quibus initium fugæ ortum erat, decimavit. Plutarch. in Crasso.

Ejus autem consilii æquitatem M. Tullius in orat. pro Cluent. luculenter his demonstrat verbis: Statuerunt ita maiores nostri; ut, si a multis esset flagitium rei militaris admissum, sortitione in quosdam animadverteretur; ut metus videlicet ad omnes, pœna ad paucos perveniret: miles enim, qui locum non tenuit, qui hostium impetum vimque pertinuit potest idem postea & civis esse melior, & vir bonus, & civis utilis; quare ne in bello propter hostium metum delinqueret, amplior ei mortis & supplicii metus est a majoribus constitutus. Ne autem nimium multi pœnam capitibus subirent, idcirco illa sortitio comparata est.

### §. XIV.

Ne autem aëra verberare videamus inquirendo in tempus, quo usque jus puniendi universitatem duret? cum pœna morte finiatur; effectus enim pœnæ consistit in sensu; unde nec infans nec furiosus naturaliter puniri possunt, quia sensum pœnæ non habent; nedum mortuus. Videntur erit civitas quamdiu viva, quando mortua vel extincta dicatur. Isocrat. de pace p. 183. ait Civitates esse immortales. Tiberius apud Tacit. Ann. lib. III. c. 6. Principes mortales, Rempublicam æternam dicit: hinc Scipio ad milites tumultuentes apud Liv. lib. 28. sic loquitur: Quod si ego morerer, mecum expiratura Resp. mecum ca-

B 2

su-

*sorū imperium populi Romani erat ? ne istuc Jupiter Opt. Max. finat urbem auspicio Diis autoribus in æternum conditam fragili huic & mortali corpori esse æqualem. Quare Roma vocari solebat urbs æterna Amm. Marcell. lib. 28. c. 1. hoc autem non significat , civitatem nunquam existungi , videbimus enim contrarium ; sed tantum , non esse civitatem ad instar personæ physicæ , seu cuiusque hominis , qui decurso certo ævi spatio per naturam deficit. Sic Cicer. apud Augustin. de civit. Dei lib. 22. c. 6. Nullus , ait , interitus est Reipublicæ naturalis , ut hominis , in quo mors non modo necessaria est , verum & optanda persæpe.*

## §. X V.

*Præterea populus est ex earum rerum genere , quæ constant ex partibus distantibus , veluti legio , grex ; tales res , quæ partes habent distantes , semper retinent idem nomen , quamvis antiquæ partes intereant , & novæ accedant : habent enim semper eundem Spiritum , seu ut Paulus JCtus loquitur , habent suam propriam speciem L. 23. §. 5. de R. vind. Stoici vim continuatricem cujusque rei , seu id , quod rem coadunat , vocarunt ζεῦ ; quod Conon Mathematicus interpretatur Spiritum , quo corpus continetur : sic a Philone de mundo tribuitur lapidibus , quo vide licet ut firmissimo vinculo continentur. Chrisippus illum spiritum vocat vim existendi.*

## §. X V I.

*Quod autem Stoicis *Spiritus* , Peripatheticis *Species* est , id Aristoteles vocavit *motum* ; Cocceius ad Grot. lib. 2. c. 9. illum *Spiritum* vocat *unitatem* , & per *unum* in materia juris intelligit rationem seu *vinculum* , quod rem , vel plures con quoque res ita jungit , & in aliquam unitatem quasi congregat , ut videatur distincta a reliquis rebus : quam *unitatem* dein dividit , quod vel sit a *natura* vel ab *instituto* ; quam*

quam posteriorem in varias divisiones iterum subdividit : quæ d. loc. videri possunt.

Quidquid vero de his denominationibus sit , sufficit per eas intelligi *vita civilis consociationem plenam & perfectam*. Grot. lib. 2. c. 9. §. 3. jam corpus , quod ex tot membris distantibus constat , manet idem , quamdiu durat horum membrorum consociatio civilis plena & perfecta ; id est quamdiu singula membra inter se quidem distantia , consti tuunt unum corpus quod imperium habet in se , & a nullo extero populo pendet.

## §. X V I I.

Hinc civitas ipsa fibi constare potest , mœnibus urbium solo æquatis , vel oppidis civibus vacuis ; ut Athenienses bello Persico urbem penitus desfruerunt , & navibus salutem quæsiverunt ; sic enim oraculum interpretatus est Themistocles : civitatem , id est civium cœtum ac multitudinem , legibus sociatam non aliter , quam lignis mœnibus servari posse. Plutarch. in Themistocle. Sic Pompejus cum ducentos Senatores , ac meliorem civium partem ab urbe , quam Cæsari reliquerat , seduxisset ; non est , inquit , in parietibus *Respublica* Dio lib. 41. Hac vocis civitatis ambiguitate decepti sunt Pœni ; nam cum Romæ deliberabatur de exscindenda Carthagine , Legatos miserunt deprecatus Urbis excidium : responderunt Romani civitatem Carthaginem salvam fore , jura immunitatesque easdem habituros , quibus ante usi fuerant : interea Scipio Africanus junior Carthaginem ferro flammaque delere jubetur ; jussit populum Carthaginem urbe excedere ; sic tamen ut , quæcunque vellet exportare , urbemque a portu remotiori condere liceret : Pœni imperio Duci perterrefacti fidem Senatus Romani implorant ; at responsum est : Romanos semper fidem coluisse , & , quæcunque Legatis promissa fuis sent , præstitisse ; Civitatem vero mœnibus urbis minime contineri.

Unde sequitur, etiam ubi nullæ sunt urbes, nihil impedire; quo minus sint Civitates: prout Germaniam nullis olim urbibus, sed sparsis habitatam vicos fuisse constat, in qua tamen multas Tacitus civitates commemorat.

## §. XVIII.

Non etiam exstinguitur civitas migratione, sic Bœotii manebant iidem, quamvis sedem mutassent ob pestilenciam Justin. lib. 16. c. 3. Lucan. s. 27.

— — Tarpeja sede perusta  
Galiorum facibus, Vejasque habitante Camillo,  
Illic Roma fuit, non unquam perdidit ordo  
Mutaio sua jura solo.

Manet enim Spiritus seu consociatio; nec locus & ædificia, sed cives constituant civitatem, ut sup. §. vidi-mus. Sane populi Boreales, qui Gallias, Italianam & Hispaniam invaserunt, veteresque sedes reliquerunt, veri populi fuere, & cum iis tanquam cum veris populis, aetatum est. Nec obstat populum migrantem semper videri subditum & subjectum illi, per cuius territorium transit; nam haec subjectio est temporaria: Sic Rex per alienas terras proficiens, manet Rex, licet facultas ejus in alieno territorio & ad tempus impediatur.

## §. XIX.

Nec refert quonam imperio, regio, Procerum, an populari regatur populus; ratio enim civitatis non in regimine, sed in populo consistit; Hinc patet cum inter Henricum VII. Angliae regem & Philippum Archiducem Austriæ §. 14. Pacis 24. Februarii 1495. convenisset, ut utriusque subditis liceret ubique ire, navigare; PER MARÆ SECURE PISCARI, absque aliquo impedimento, licen-

tid,

tia, seu salvo conductu; hinc dico patet, quam inepte Angli liberam piscandi libertatem Belgis invidentes, excepérint, hanc pacem factam esse cum Archiduce Austriae, non cum Ordinibus Generalibus. vid. Corp. Diplom. Tom. III. part. 2. N°. 171. Sæpiusque Anglos contra d. §. 14. cavillatos fuisse notat Aitzema hist. Lib. 1. p. 26. & 32. lib. 16. p. 277. & 278. Sic etiam Daniæ Rex Ordinibus Generalibus servare noluit Pactum Spirens cum Imperatore Carolo V. pro Belgis initum, eadem prorsus ratione, qua Angli stare solebant d. §. 14. vid. eund. Aitzema lib. 24. p. 650—660. Aliud vero obtinet, si populus hac regiminis mutatione fiat accessio novi regni, tum enim tollitur consociatio illa perfecta; id est ab extero populo pendere incipit.

## §. XX.

Notissima est JCtorum Sabini Proculique dissensio, quorum ille existimabat materiæ Dominum etiam rei specificatae dominium habere, hic vero specifikatorem rei specificatae acquirere dominium; putabat igitur formam dare esse rei, & rem per novam formam quasi interimi L. 7. §. 7. D. de acquir. rer. domin. Sed jus nostrum non desinit, mutata extrinseca specie; nisi substantia juris in forma consistat, sic ususfructus ædium tollitur dirutis ædibus. L. 5. §. 2. D. quib. mod. usufr. vel us. amitt. Aristoteles autem lib. 3. Polit. c. 3. codem modo esse Reipublicæ in forma consistere existimat, adeoque illa mutata Rempublicam eandem esse negat. Grotius vero lib. 2. c. 9. §. 8. respondet unius rei artificialis plures esse posse species; sic primaria & essentialis species civitatis est consociatio perfecta juris & imperii; quamdiu haec durat, manet civitas eadem: altera species est modulus, quo hoc imperium administratur: hic autem modulus variari potest, manente tamen semper eadem civitate; hinc magis oratorie quam vere dixit Cicero, partes urbis modo stant, rem tamen publicam penitus amisi-

muss.

*mus.* Videri meretur Coccejus, qui ad *d. Grot. loc.* contra Grotium & Puffendorfum ostendere conatur, Aristotelem eandem cum Grotio fovisse sententiam.

## §. XXXI.

Diximus §. 14. civitates non ita immortales esse, ut nunquam extinguerentur; Sed aliquando extingui; videamus jam de modis quibus civitas vel Universitas extinguatur: sit autem hoc modo duplici vel ipsa multitudine exincta, vel ejus unione, seu Spiritu sublato; Servius *ad 1. Aeneid.* ait: *duobus generibus deletur exercitus, aut internecione aut dispersione;* quamvis Pontificiorum Sacra sequentes, & tertium modum addant, nimis cum civitas banno Papali percussa sit, quo casu pro mortua habetur, omniaque amittit jura. *Gloss. in cap. fin. X. de procurat.* Extinguitur multitudo multis modis, inundatione, terrae motu, & bellis; ex antiquo Latio LIII. populos sine vestigiis interiisse, ait Plinius *hist. Natur. III. c. 5.* Unio tollitur sublato omni, vel etiam parte imperii & juris communitatis, *Grot. d. loc. §. 6.* quod sit dissipatione hominum peste, seditione, bello, servitute publica; potest etiam fieri discessione libero consensu facta; nihil enim tam naturale est, quam eo genere quidque dissolvere, quo colligatum est *L. 35. de R. 3.* Si tollantur omnes Magistratus & Senatus, ut olim Romani Capuae fecerunt, extinguitur civitas: tollitur etiam, quando ei privatum libertas eripitur; quod sit, quando cives singuli sub corona venduntur. *vid. Justin. lib. II. c. 4.* adde quæ de eversione civitatis Mitylenæorum habet Thucyd. 3. p. 161.

## §. XXXII.

Hac occasione queri posset, quot requirantur, ut maneat papulus? JCti. quidem Romani, si universitas ad unum reddit, magis admitti respondent, posse illum convenire

nire & conveniri; cum jus omnium in unum reciderit, & stet nomen Universitatis *L. 7. §. 2. D. quod cujusc. Univers. nom.* Sectus vero est, cum gregis ususfructus legatus est, & usque eo pervenit numerus gregis, ut grex non intelligatur, perit ususfructus *L. 31. D. quib. mod. ususf. amitt.*

*Grotius lib. 2. c. 9. §. 4.* non determinat numerum; sunt, qui decem requirunt; sunt, qui plures; Alciat. *ad L. 40. D. de V. S. Apulej. in apolog.* Quindecim liberi homines populus est, ait. Apud Ovid. *Metam. lib. 6. vs. 197.* Niobe quatuordecim liberos vocat populum;

*Huic aliquid populo natorum posse meorum  
Finge demī.* — — — — —

Sic Justinus *lib. 10. c. 1.* quinquaginta fratres Darii parricidas Artaxerxis patris vocat *populum magnum.* Bodinus *de repub. lib. I. c. 2.* tres familias nec pauciores, ad civitatem constituantur, necessarias esse existimat; in familia autem præter patremfam. & matremfam. tres requirit personas; adeoque quindecim ad minimum personæ secundum ejus opinionem constituant *populum.*

Cl. Huberus requirit cœtum, qui numero & facultatibus satis est validus, ad defensionem communemque utilitatem; adeoque cum Heinec. *elem. J. N. & G. lib. 2. §. 107.* finem & scopum omnium civitatum ponit *Securitatem civium;* reprehendit itaque Apulejum & Bodinum, quasi hic finis a tam paucis, quos illi Autores civitatem constituere dicunt, obtineri non possit *lib. I. de jure Civit. Secc. 2. c. 2. §. 2. & 3.*

*Titius in observ. ad Pufend. de off. hom. & civ. lib. 2. c. 6.* putat, si civitatem ex sola autonomia æstimemus, tum familiam in statu naturali existentem, civitatem esse, illiusque adeo numerum ad hanc sufficere; si vero civitatem, velut majus quid, a familia distinguamus, tum numerum familia majorem ad illam requirit; qui dein ex

C

com-

comparatione cum Rebuspublicis vicinis amplior determinandus est; adeoque revera cum Hubero consentit.

§. X X I I . I .

Credimus vero tot personas populum constituere, quot ad onera civica sustinenda requiruntur: Summa igitur haec erit, si tam exiguis civium numerus superest, ut ab iis onera publica ferri nequeant; manere quidem apud illos, quod tanquam singuli & privati habent; tolli autem, quod habent civitatis ad instar, nempe jura Majestatis & summi imperii: quamvis Coccejus affirmet, imperium in uno etiam subsistere posse, potentia scil. non actu, si nempe ille unus animum continuandi imperium habet: sed veriorem existimo sententiam Statuentium, imperium non continuari in uno; nam quod L. 7. §. 2. D. quod cuiusc. Univers. dicitur, si Universitas ad unum reddit, nosse cum convenire & conveniri; hoc Civitati tanquam cœtui perfecto, qui propriis sustinetur viribus, omnino aptari nequit; præterea cum in definitione Universitatis latiori sensu sumptae §. 3. requisivimus, ut sit ordine imperandi & parendi distincta; sequitur unum illum civem superstitem debere esse Imperantem & parentem, quod absurdum est. Sed in viam; cum primarius constitutæ civitatis finis sit Securitas civium; si pauci se tueri possunt contra vim externam, uti Amazonum paucæ, exercitu absumpio, quæ in regno remanserant, ægre sese defendantes adversus finitos, usque ad tempora Alexandri M. duraverunt. Justin. lib. 2. c. 4. in fine. retinebunt quoque ea, quæ habent tanquam populus & Civitas.

§. X X I V .

Videamus jam, quid de nostra quæstione statuendum sit; an jus illud puniendi Universitatem semper duret, an vero extinguatur extinctis membris, quæ deliquerunt? Non

aus

autem hic agimus de reparatione damni; id est, an obligatio reparandi damni ab Universitate illati ad Universitatis successores transeat? ex maleficio enim obligatio oritur, si damnum datum est, ut id resarcitur: pendet hujus præcepti æquitas e duobus principiis naturalibus; quorum primum est, hominem non debere alteri nocere; alterum, æqualitatem ubique servandam: damnum igitur omni tempore resarcendum esse procul omni dubio est; quia haec tenus non tantum civitas; sed & territorium obligatur, adeoque haec obligatio non definit, et si singuli ci- vies mutantur; adeo ut, licet unus tantum supersit civis, tota obligatio in eo hæreat; nisi vel civitas ipsa tollatur; de quo ante pluribus.

§. X X V .

Plutarchus de his quæ sero a numin. pas. postquam pluribus demonstrasset, civitatem mutationibus secundum ætates suam non exuere naturam; concludit, ergo urbem opprobriis Majorum suorum obnoxiam esse; quia etiam sibi gloriam eorum & potentiam vindicat: nam si gratiam, ait paulo ante, quæ virtuti refertur, arbitramur debere ad posteros propagari, consentaneum omnino rationi est, ut sentiamus, debere etiam poenas flagitorum non intercide-re, aut ante gratiam desinere; sed eodem usque se exten-dere, ut utrinque pari, suum cuique tribuatur ratio-ne.

§. X X V I .

Grotius vero lib. 2. c. 21. §. 8. cumque eo omnes ejus Commentatores ad all. locum negant, poenam a Communi-tate recte exigi, si non amplius existent, qui deliquerunt. Movetur vir Eximius hac ratione: quod quædam de Uni-versitate dicantur primo & per se, ut habere ærarium, ha-

C 2

bere

bere leges, jura & privilegia, quæ singuli, qui sunt de ista universitate, sua dicere non possunt: quædam ex derivatione competunt Civitati, sic V. G. societatem dicimus doctam, fortem, temperantem, bene aut male moralam; ex hoc genere quoque est, cum dicimus universitatem pœnas esse commeritam; meritum enim convenit singulis tanquam mentem habentibus, quam Universitas per se non habet: ut igitur privilegia sunt personalia, ita & pœna personalis esse debet: ex quo sequitur; si cives, per quos civitas meritum contraxit, mortui sint, & illud meritum per substitutos seu successores non sit continuatum, ipsum meritum extingui, adeoque & aptitudinem ad pœnam, quæ sine merito recte infligi nequit, sic Libapius *in orat. de sedit.* Antich existimat sufficere, ne pœna infligatur, quod nemo supersit eorum, qui deliquerunt. Arriano lib. 3. c. 18. non videtur recte egisse Alexander M. Persas ob Majorum delicta castigans; cum ait, *non hæc vera est vindicta in eos Persas, qui pridem esse desiderant.* Apud Horat. 3. od. 6. Legimus

*Delicta majorum immeritus lues  
Romane!*

Eodem sensu Curtius lib. 7. c. 5. de Alexandro judicat; quæ si in ipsis, inquit, proditionis Autores execigata essent, justa ultio esse videretur; nunc culpam majorum posteri luerunt, qui ne viderant quidem Miletum, adeo Xerxi non potuerunt prodere.

Refutat etiam Grotius *d. loc.* Plutarchum, quod a iure Divino concludit ad jus hominum; periculosa enim admodum est argumentatio a Dei ad hominum tribunal; quoniam in tribunali Divino ob humanam ignorantiam, saepe latet culpa, ubi non latet pœna Augustin. *I. tract. c. 9.*

### §. XXVII.

### §. XXVII.

Sed quamvis hæc a Viro summo proferantur, contraria tamen sententiam veriorem esse, persuasum habemus; nempe facultatem pœnarum ab Universitate exigendarum non extingui, extinctis membris, quæ deliquerunt: nam quamdiu eadem manet universitas, non tollitur pœna, vel obligatio ad pœnam; atqui tractu temporis, etiam si singuli intereant, & novi cives nascantur, manet eadem universitas, ergo & manet obligatio ad pœnam. Minorem hanc propositionem supra jam satis superque probavimus; & ipse Grotius hoc confirmavit exemplo fluvii, in eundem enim bis non descendimus, manet quidem idem fluminis nomen, aqua transmissa est Senec. epistol. 58; sc Ovidius 15. *M. tam. vers. 180.* canit:

*Ut unda impellitur unda,  
Urgeturque eadem veniens, urgetque priorem.*

### §. XXVIII.

Quod vero ad majorem propositionem, in qua probanda cardo rei vertitur, attinet, cum de Universitate vel populo puniendo agimus, distinguendum est inter casum, quo Rex vel populus liber populum sibi non subjectum puniturus sit; & inter casum, quo Rex de universitate, vel populo suæ jurisdictioni subdito pœnas sumpturus sit. quod ad primum casum; absurdum foret querere de tempore, quo usque jus puniendi duret, cum nequidem jus puniendi aequaliter competit; potestas enim exigendi pœnas inhæret soli imperio, id est, illis qui jus examinandi alterius actiones vel a natura vel ex consensu acceperunt; ipsa etiam ratio satis liquido ostendit, pœnam utpote sententiæ judicialis executionem a superiori debere profici, seu tali qui in sotent imperium habet; jam Rex vel populus liber, qui alium populum, sibi non subditum punire vel-

C 3

let,

let, jure naturali æqualis est populo puniendo: absurdum etiam mihi videtur sententia, licere æquali æqualem punire; cum omnis poena supponat judicium, an actio sit jure an injuria suscepta; qui autem dicit, æqualem ab æquali posse puniri, dicit hominem a natura esse alterius judicem; jam judicia a natura nulla sunt, sed a solo hominum facto. Grot. lib. I. c. 3. §. 1. vñ. 2. præterea invitus etiam ad pœnam cogendus est, jus autem cogendi non nisi superior habet; communique gentium consensu constat, administrationem justitiae, superiori concessam esse; pars autem ejus administrationis est distributio pœnarum. Numquam igitur competit æquali jus puniendi æqualem: non obstat, quod sæpe videamus, populum populo ob injuriam acceptam bellum inferre; non enim omne malum, quod quis ob crimen commissum patitur pœna proprie sic dicta est; sed illud tantum pœna est, quod ante denuntiatum infligitur delinquenti per sententiam judicialem. Videri possunt Pufendorfius de Jur. N. & G. lib. 8. c. 3. §. 7. Barbeirac in not. 3. §. 4. ejusd. capit. qui ipse a Pufendorfio dessentit, & eum eo Ulr. Huberus de jur. Civit. lib. II. sett. 6. c. 1. n°. 7.

## §. XXXI.

Diceret quis, atqui quæstio est, quam diu vindicta ab universitate sumi possit? sed credibile est, Grotium hic de pœna proprie sic dicta egisse; quoniam in cap. 20. lib. II. naturam & indolem pœnarum, proprie dictarum exposuit: in cap. vero seq. ubi nostra occurrit quæstio, egit de communicatione pœnarum, quomodo pœna transeat ad eos, qui delicti sunt participes: videamus tamen, an non & hoc dubium removere valeamus; & quidem vindicta vel ultio dupliciter considerari solet, vel est vindicta pura, vel est vindicta, per quam pœnam simul & reparationem damni & injuriæ petimus; sermo autem hic est de summis Imperantibus, qui communem judicem non habent; nam jure

jure civili ultiōnem sibi permettere alicui non est integrum; cum judiciorum rigore juris publici tutela in medio sit constituta, quibus jus suum obtinere quis possit L. 14. C. de judæis & Cœlic. L. 176. de R. J. Excepti sunt casus in tit. C. quand. liceat unicuiq. sine judic. se vind. L. 22. §. 4. L. 24. D. ad L. Jul. de adult. quos omnes collegit Joan. Petersen in disput. inaug. quand. quis se ips. sine judic. vind. possit.

## §. XXX.

Vindictam puram quod attinet, naturali lege quin sit prohibita, dubium non est: puram autem voco, quæ nullum alium finem habet propositum, quam ægre facere illic, qui nos læserunt, eorumque dolore nostrum satiare a nimum: hinc Seneca II. de ira c. 32. ultiōnem inhumanum verbum vocat, & Musonius apud Stobæum Serm. 19. de patient. id cogitare, quomodo quis remordeat mordentem & nocenti noceat, fera esse non hominis, ait: & Senec. cit. loc. non ut in beneficio honestum est, merita meritis repensare, ita injurias injuryis; illuc vinci turpe est, hic vincere: a ratione humana longius recedit dictum, læso, doloris remedium, inimici dolor. Publ. Syr. vñ. 340. Apparet igitur, vindictam puram nequidem ab ipsa delinquenti universitate sumi posse: dicat quis, Imperantes tam sæpe hoc ultiōnis genere utuntur; sciat hic non quæri, quid Imperantes faciant, sed quid jure faciant; agendum est, non modo quod licet, sed quod fecisse decebit.

## §. XXXI.

Restat itaque altera vindictæ species, per quam vim ac contumeliam defendendo ac ulciscendo propulsamus a nobis ac nostris, qui nobis cari esse debent, & per quam peccata punimus, ut ait Cicero II. de invent. c. 22. atque haec in statu naturali licita fuit, manetque adhuc: primo in lo-

cis,

cis, ubi judicia nulla sunt, ut in mari & in locis desertis: dein etiam obtinet inter eos, qui communem judicem non agnoscunt, ut summi Imperantes: non tamen in infinitum licita est, nam quam primum aggressor lœso damni injuriaque reparationem offert, cessat hæc vindicta, degeneraret enim in vindictam puram, seu animum alieno dolore, qua dolor est, satiari cupidum, quam vindictam juri naturali contrariam esse *sup. §. vidimus*: hinc ut aggressor veniam petere, damnumque resarcire posset, videtur requiri jus Canonicum *trinam monitionem*, quæ vindictam præcedere debet *C. i. X. de Treuga & pace. C. conquestus. 16. X. de foro compet.*

Hæc jam applicemus nostræ quæstioni; si delinquentis populi successores vindictam deprecantur, offerendo damni & injuriaque reparationem, nullo jure bello conturbantur; si non deprecantur, in delicto consentire, idque probare videntur; adeoque jam non ob Majorum, sed ob delictum proprium puniuntur: & sic vindicta nunquam in nostro casu locum habere potest: Obrechtus etiam nullam vindictam licitam esse ait ad Grot. *lib. 11. c. 20. §. 8.*

### §. XXXII.

Superest itaque alter casus, quo Rex vel populus universitatem sibi subiectam punit ob crimen a praecessoribus commissum. in quo distinguimus: vel pars populi delictum commisit, vel Magistratus seu Imperantes, vel tandem populus universus deliquit: si pars populi peccavit, affirmandum existimamus, jus poenas exigendi exstingui mortuis delinquentibus; cum hoc in casu multi sunt innocentes, multi in utero existentes, quibus jus a majoribus quæsitum auferri nequit; magnanimi viri est, rebus agitatis, punire fontes, multitudinem conservare Cic. *lib. 1. offic.* Hac ratione Rhodii apud Senatum publicam causam a privatorum causa segregant, dicentes: nullam esse civitatem, quæ non improbos cives aliquando, & imperitam multitudinem semper

per habeat. Liv. *lib. 45. c. 23.* adhæc poena sequitur meritum; meritum est personale, ergo poena quoque personalis est, suosque tantum autores tenet. *L. 20. 26. D. de pénis.* Hinc Ordinum Generalium Consiliarii 22. Julii anni 1666. recte responderunt Ordinibus Generalibus, ob delictum Monachi perperam apud Senatum Brabantinum, arresto detenta esse bona ipsius monasterii. Aitzema. *hist. lib. 46. p. 665.* adeoque si hic affirmaremus, jus puniendi semper durare, sequeretur heredes horum delinquentium fore puniendos, non universitatem, seu totum populum, qui nostro in casu non deliquit; jam nihil est iniquius, quam aliquem paterni odii heredem fieri Senec. *II. de ira c. 34.* sic Attagini, qui Thebanis ad Medos deficiendi autor fuerat, liberos nullo malo affecit Pausanias, Herodot. *lib. 9. c. 87.* exceptio est, nisi cæteri delinquentium facta approbaverint, & facinorosos defendantes crimen suum fecerint, quo casu omnes crimen commisisse censendi sunt, adeoque puniendi.

### §. XXXIII.

Vel secundo Magistratus seu imperantes civitatis deliquerunt, & hi soli puniendi sunt, nec per eorum delictum gravabitur universitas, easdem ob rationes, ob quas partem populi sine omnium consensu peccantem solam puniri diximus; non enim ad delinquendum constituti sunt Magistratus, sed ad rite administrandum Vid. Farinac. *in præ. Crimin. lib. 3. tit. 4. quæst. 24. n°. 130.* Mynsing. *cent. 4. obs. 79.* Huc etiam referri posset, si tota civitas vel plebs delinquat sine regentum consensu; excusantur regentes, & seditionis populus punitur. Besold. *in consult. cons. 91. n°. 112.* ante memorata exceptio hic iterum locum habet; si nempe tota civitas regentum factis concensum præbuerit.

D

### §. XXXIV.

## §. XXXIV.

Vel denique totus populus delinquit; quod fit, quando cum capite & membris, convocatis universis civibus per sonum campanæ, tubæ vel alium consuetum modum, habito prius consilio, ex proposito & animi consensu congregatus, aliquid committendum concludit, & perficit. aliud est enim, quod in populo quisque habet peccatum proprium, aliud quod commune, quod uno animo fit, & una voluntate ad aliquid multitudine comparata committitur Augustin. in *Levit. Quest. 26.* hinc in formula fœderum est, si defexit publico consilio *Liv. lib. 29. c. 17.* aliquando etiam totus populus delinquisse censetur, quamvis ipse non deliquerit; si nempe scit delinqui, prohibere potest, & tenetur, nec prohibet: sic non multum interest, præfertim in Consule, utrum ipse perniciosis legibus, improbis concionibus rempublicam vexet, an alias vexare patiatur Cicer. in *Pison. c. 5.* par est delinquere & delinquentes non prohibere. Vid. *L. D. 7. qui fin. manumis L. 2. D. d. noxal. Action.* Delinquit tandem, ut in præced. jam vidimus, recipiendo delinquentes, iisque tutelam concedendo: exemplum est in Benjaminitis *Judicium c. 20.*

## §. XXXV.

Quibus omnibus casibus & successores istius populi puniri posse & ad officium revocari nullus dubito, si nempe Rex vel summus Imperans tacite vel expresse injuriam non condonaverit, & pace de ea transactum non fuerit.

Casus vero in hac quæstione ponendus talis est, quo summus Imperans *externo* occupatus bello, subditos interim rebelles in ordinem non cogit timens, ne hostiles sequantur partes; tandem bello fractus, hosce subjugare nequit: talis Imperans hos rebelles non tantum, quandocunque luet, sed & horum successores punire & ad officium redige-

16

re potest. nec est, quod moveamur Grotii rationibus contraria amplecti partem; nam quod dicit, quædam de universitate dici, non nisi derivatione a singulis; sic universitas dicitur docta, fortis &c. quæ plurimos habet doctos, fortis; & quod dicit, de hoc genere esse meritum, vera est comparatio in casu, quo non universus populus, sed pars tantum peccavit, vel quando cives aliquid faciunt, tanquam singuli; & postea per actus sequentes non potest detegi voluntas tacita civitatis approbantis crimen: quo casu innocentium successores puniri, pœnamque ad illos, quorum non est delictum, transire, absurdum esse vidi-  
mus, & eo casu cum Grotio extinctis delinquentibus extingui pœnam statuimus: præterea fortitudo transit, non vero obligatio ad pœnam nisi soluta pœna, sic v. g. homo fortis facto ignavo desinit fortis vocari; qui autem delinquit, quamvis dein quedam juste fecerit, manet obligatus ad pœnam, quamdiu crimen non luit.

## §. XXXVI.

Ut autem ad exempla, quæ Grotius, pro sua opinione profert, respondeamus, dicendum est, Libanum *in dicta orat.* loqui de pœnis non universitati, sed singulis civibus infligendis; universitas enim jam satis punita erat interdictione theatri, balnearum, nominis metropolitani, de qua re in præced. egerat Libanius; adeoque hic locus nihil huc facit. Arriani etiam locus *ex lib. 3. c. 18.* ad sententiam Grotianam probandam non pertinet: primo enim, non dicit Arrianus Alexandrum *male fecisse*, sed *non recte*, id est, laudabilius fecisset Alexander, si illos Persas non conturbasset: dein sermo ibi est, de puniendo Perlas, Alexandri imperio nondum subjectos; adeoque proprie dicta pœna non erat, ut §. 28. vidimus, sed vindicta: hinc ipse Alexander ait: *imperium sibi a Græcis delatum esse, ut & novas & antiquas injurias vindicet Curtius L. 2. c. 2. ex suppl. Freinsb.* adeoque Arrianus in Alexandro tantum im-

D 2

pro-

probasse videtur principatus appetitionem ; unica ipsi sua-  
foria belli causa erat profunda cupidus imperii , itaque hic  
de Alexandro dicere licet , quod de Romanis Mithridates  
ajebat. Justin. lib. 38. non delicta regum illos , sed vires  
ac Majestatem insequi.

## §. XXXVII.

Idem fere responderi potest ad Curtii de Alexandro ju-  
dicium lib. 7. c. 5. quæ si in ipsos prodictionis Autores ex-  
cogitata essent , justa ultiō esse videretur. Sermo ibi est de  
excidio Branchidarum propter prodictionem templi Milesii  
a proavis horum factam ; jam Alexander hunc populum  
injuste puniebat , ipsi enim nullum in hanc gentem jus e-  
rat ; idcirco Curtius etiam vocat ultiō , non poenam ;  
quæ forte justa fuisset in ipsos Autores ; quia bellum ob  
peccata , quæ in Deum committuntur , suscepimus , jus-  
tum atque licitum est : Grotius lib. 2. c. 20. §. 44. præ-  
terea damnat Curtius modum , quo populus trucidabatur ;  
qui crudelitati magis quam poenæ accedebat : videtur etiam  
Alexander hoc excidium indulisse , ut Milesios , qui a-  
pud se militabant , sibi magis devinciret.

Quod ad versus Horatii lib. 3. Od. 6.

*Delicta majorum immeritus lues  
Romane !*

Nihil pro contraria Sententia faciunt ; nam Poëta suæ  
ætatis mores corruptos insectans , non loquitur de poena  
humana , sed divina , quam Romani dabant ; sic enim  
pergit :

*Di multa negleñti dederunt  
Hesperiae mala luçtuose ;*

Præterea dicit immeritum luere delicta secundum vulga-  
rem

rem opinionem ; quia in divinis castigationibus saepe latet  
culpa , ubi non latet poena : forte etiam adulandi gratia  
dixit : *Romanos immeritos majorum delicta luere.*

## §. XXXVIII.

Plutarchum tandem recte quidem carpit Grotius , quod  
loc. §. 25. cit. hæc facta probet prætextu vindictæ divi-  
næ , quasi ad exemplum Dei , posteri ab homine etiam  
puniri possint : aliud enim est jus Dei , aliud hominum :  
periculorum quoque id humanæ societati foret , cum omnes  
homines peccent , eadem ratione , jure talionis aliæ gen-  
tes , a nobis quoque poenas sumere ob delicta tum pro-  
pria , tum parentum nostrorum possent : non video au-  
tem , cur improbet Grotius Plutarchi ratiocinium , quod  
hoc modo instituit : *si æquum est posteros honores & præ-  
mia accipere ob merita majorum ; ideo & puniri eos ob eo-  
rum peccata æquum est :* fingamus enim beneficium propo-  
situm esse benefaciensi , poenam vero malefacienti , u-  
trumque dabitur ob meritum ; si jam meritum , ob quod  
beneficium confertur , ad posteros transit , cur non & me-  
ritum , ob quod poena datur : sola exceptio est in benefi-  
cio gratuito , quod cuicunque conferre possumus ; poena  
vero non nisi merenti infligi potest : Objici quidem pos-  
set , odiosa non sunt extendenda , ergo nec poenæ ; sed  
nulla sit extensio , manet enim populus idem , nisi Spiriti-  
tus extinguatur ; jam meritum poenæ durat in persona ,  
donec poena vel soluta , vel remissa sit : præterea lici-  
tum aliquando est poenas extendere , si nimirum alias ma-  
jora inde redundarent mala ; concessò enim , successores  
delinquentis Universitatis puniri non posse , impune popu-  
lus rebellaret , seque Regis , externis occupati negotiis ,  
imperio subtraheret.

## §. XXXIX.

Atque hanc nostram de Jure puniendæ Universitatis sententiam propugnare videtur Cl. Coccejus *ad Grot. tom. 2. p. 604*: cuius tamen rationi, ob quam præter alia contendit injuriam, ab universitate illatam semper vindicari posse, non assentior: ratio illa est, quia præscriptio Jure Gentium non datur; quod assertum præter alia argumenta, everti potest solo Gentium consensu; quum videamus, in omni Pacis Conventu, omnes fere Principes, solennes exhibere protestationes; ne ex silentio & patientia aliqua oriri posset præscriptio: Verum hæc, cum ius loci non sint, missa facio; Videri potest *dissertatio Cl. Werlhofsi*, cui titulus; *vindiciæ Grotiani dogmatis de præscriptione inter gentes liberas*.

Jus tamen puniendi Universitatem semper durare, verius credo, & præscriptionem hoc in casu locum non habere: nam quod in Jure Romano dicitur, omnia fere crimina viginti annorum lapsu præscribi *L. 12. C. ad L. Corn. de falsis*. huc pertinere non existimo; illa lex pertinet ad casum, quo quis criminis accusatione supersedit, dein post viginti annorum lapsum illam resuscitare vult: respondent Impp. Diocletianus & Maximianus, id obtineri non posse impleta præscriptione, ne lites essent perpetuae: nostro autem in casu non criminis accusatio, sed Jus puniendi illud crimen præscriberetur; dein si in casu, quem posui, quo Jus puniendi semper durat, curreret præscriptio, curreret contra non valentem agere, jam agere non valenti non currit præscriptio: præterea peccans ad poenam est obligatus, ut debitor ad debitum solvendum; nisi quod debitor etiam sponte creditori solvere obligatus sit, cum delinquens ultro judici se sistere non teneatur. Vid. *not. 8. Barbeir. ad §. 4. c. 3. lib. 8. Pufendorf.* jam debitor, quamvis creditor solutionem non urgeat, nunquam præscriptionem oppone-

rc

re valet, ergo nec delinquens, quamvis Superior poenam non exigat, nisi tacite illam remissam esse probare queat.

Hæc sunt, B. L. quæ de hac materia edere cogitaram, si quæ minus recte, juvenem non virum scripsisse memento.

## T A N T U M.



THE.

# THESES.

I.

*Patri, jure Romano, absolutam in liberos potestatem, jusque vita necis competuisse videtur.*

II.

*Possessio sive jus possessionis minus recte inter species iuris in re refertur.*

III.

*Juri offerendi debiti, luendique pignoris praescribi potest longissimo tempore, seu triginta aut quadraginta annis.*

IV.

*Aetio negotiorum gestorum semel nata non convertitur per ratificationem in actionem mandati.*

V.

*Heres ob omissam inventarii confectionem amittit quartam Trebellianicam, liberosque ob eandem causam amittere legitimam verius puto.*

VI.

*Azonis sententiam, statuentis filios fratum, si soli sint, in capita, non in stirpes succedere veram existimo.*